



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XIX. An violetur charitatis præceptum, si occidatur vitæ injustus
aggressor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

& Valentinianum poſtea Imperatorem, à D. Ambroſio funebri præconio condecoratum, alioſque ab Euſebio, ac Theodoroſo laudatos. Qui ergo cingulum ſemel abjecerant, ad militiam reduntes videbantur probare cultum idolorum. Adde cum eximio Lupo ad præcitatum canonem, duplex fuiſſe militiæ genus, ſuperioris, cui erat neceſſitas immolationis, & inferioris, quam Tertullianus lib. de Idololatria cap. 14. appellat *caligatam*, & canonem latum eſſe adverſus priorem. Præterea à poenitentibus, & à Clericis ſeverior exigebatur diſciplina, ab illis ad aliorum terrorem, ab iſtis vero ad exemplum. Ad poſtremum reſpondeo utique è bello derivare multiplices clades, dirasque neceſſitates; ſed iniquitas partis adverſæ, etiam dolenda, ſi nulla ex ea bellandi neceſſitas naſceretur, *juſta bella ingerit gerenda ſapienti*, ut inquit S. Pater XIX. de Civ. Dei cap. 7. quare Patres damnant iniquitates quæ bellum pariunt, non bellum quod geritur ut iniquitas puniatur, ut pax acquiratur, ut genus humanum vexationes non patiatur.

7. PROPOSITIO II. Illicita eſt monomachia, ſive initum ex condicito ſingulare certamen.

Probatur. Probatur, quoniam Tridentinum Concilium ſeſſ. 25. cap. 19. declarat deſtabilem duellorum uſum fabricante diabolo fuiſſe introductum, ut cruenta corporum morte animarum quoque perniciem lucraretur: provocantes autem, & ineuntes plectit excommunicationis poena, perpetua infamia, proſcriptione bonorum, & ſi moriantur in pugna, Eccleſiaſtica ſepultura. Idem decreverunt ſummi Pontifices Pius IV. Gregorius XIII. Clemens VIII. Etiam Alex. VII. proſcripſit illam propoſitionem: *Vir equeſtris ad duellum provocatus poſteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Idem demonſtrat

evidens ratio; nam ſi duellum inſtituitur ad oſtentationem virium, deſteſtabilis ſuperbia eſt, & immanis crudelitas haud honeſtior flagitioſo gladiatorum congreſſu: ſi ad notam timiditatis vitandam, eſt ſingularis dementia ac temeritas, ob improborum exiſtimationem præſentis, ac ſempiternæ vitæ inire periculum; necnon imprudens rerum dijudicatio fortitudinis præſtantiam in corporis viribus, non in virtute animi conſtituere, cum illæ brutis, barbaris, que hominibus ſint communes; hæc propria rationalium, honeſtiſſimorum, que virorum: ſi denique ſingularis pugna ſuſcipiatur honoris cauſa, cum honor vitæ hominis non debeat æquiparari, niſi ſit verus honor ſitus in vitæ honeſtate, virtutiſque decore; extrema ſtulticia eſt ob famam ſterilem atque inanem corpus & animam devovere. Hæc tamen non tenent, ſi ad finem imponendum truci bello, ex condicito utriusque partis, aut duo, aut plures decertent monomachia; tunc enim non temere, ſed jufſu legitime poteſtatis pugnatur, ac propria vita non proſterili fama, vel inani oſtentatione proſunditur, ſed pro reipublicæ incolumitate, & communi ſalute. At de his plura qui data opera moralem Theologiam exornarunt.

Si objicias in Religione Equitum D. Jacobi in Hiſpania celeberrima, & S. Sedis approbatione confirmata, exigi à candidatis juramentum, quod nunquam recuſarint ſingulare certamen; reſpondet Andreas Mendo diſquiſit. III. q. 2. num. 16. non ejici à nobiliſſimorum Equitum numero, qui recuſarit duellum, ne Deum offenderet; ſed qui id egerit præſeferendo timiditatem, & commonſtrando ſe ad pugnam vel pro religione, vel pro Regni tranquillitate ineundam nequaquam idoneum eſſe.

8. Objection & Solutio.

C A P U T XIX.

An violeſtur charitatis præceptum, ſi occidatur vitæ injuſtus aggreſſor.

S U M M A R I U M.

1. An liceat occidere injuſtum vitæ aggreſſorem auctores pro - & contra notantur.
2. In quo conſiſtat moderamen inculpatæ tutelæ.
3. Ordo charitatis requirit ordinatam dilectionem.
4. Propoſitio probatur ex S. Scriptura.
5. & 6. Solutio objectionum.
7. 8. & 9. Probatur ulterius propoſitio.
10. Noxia cupiditas facit illicitam occiſionem graſſatoris.
11. Ulciſcendi libido facit illicitam occiſionem.
12. Non licet aggreſſorem occidere inhærendo amore vitæ, corporis, & huic poſt-habendo proximum.
13. Argumenta ſui retunduntur.
14. Non licet ex ira aggreſſorem proſternere, nec vitæ deſenſionem, ſed alterius mortem intendere.
15. Uſque 23. Objectionum ſolutio.

U u 3

Q U A M

1.
An liceat occidere injustum vitæ aggressorem auctores pro- & contra notantur.

QUAMQUAM non continet hoc volumen moralis Theologiæ quæstiones singulas, sed universales tantum charitatis, cæterarumque virtutum præceptiones: quæstio tamen de occisione infaustoris tam est difficilis & implexa, ut jure expostulet peculiarem aliquam disquisitionem. Abeunt enim in diversas partes Theologi; affirmantque licite injustum aggressorem occidi non solum benigniores quidam, ac per-vulgati Casuistæ, verum etiam graves, accuratque Theologi, inter quos non absque præconio laudis commemorandi sunt Dominicus Soto lib. v. de justit. & Jure cap. 1. art. 8. Estius in dist. 37. libri 3. §. 21. ac fere omnes Thomistæ in 2. 2. D. Th. q. 64. art. 7. Continuator Theologiæ Tournely de Justitia P. 3. cap. 3. art. 2. sect. 5. alique ab eodem auctore laudati, nec non ex Nostratibus Salonius in præcitatum articulum D. Thomæ, Petrus de Aragona ibidem, stilo autem fusiori Barth. Riccius ad proposit. xxx. damnatam ab Innoc. XI. in quo invenies quidquid alii, etiam posteriores ævi, collegerunt. At lædi ea occisione charitatis præceptum docent viri alii doctissimi; atque ut mittam Accursium, Gersonem, Richardum à S. Viçt. à Petro de Aragona eo loci commemoratos, aliosque à Friderico Gavardi q. 2. de lege nat. §. 4. inter Nostrates idem exquisitis argumentationibus contendunt Augustinus Triumphus de Potest. Eccles. q. 52. art. 3. Cardin. Norisius in Vindiciis cap. 1v. §. 9. Christianus Lupus de Opin. Probabili cap. 8. Leonardus Vanroy de Justit. & Jure cap. 6. q. 9. prælaudatus Gavardi Tom. 1v. cit. loco, Aurelius Piette P. 1v. cap. 4. q. 4. alique recentiores.

2.
In quo consistat moderamen inculpatæ tuclæ.

Prænotandum est autem, Doctores, qui propugnant licite occidi aggressorem in vitæ suæ defensionem, necessarium requirere *moderamen inculpatæ tuclæ*, quod in eo situm est, ut defensor nihil aliud molietur, quam id, quod necessarium putat ad intentatam necem propulsandam; ita ut si evadere possit ferientis ictus arripiendo fugam, non trahet arma; si hoc fat est, nec infaustorem vulneret; si possit levi vulnere aggredientem repellere, non infligat lethale. Neesse est etiam, ut aggressor sit injustus, scilicet in alterum non irruat absque accepta auctoritate; alioqui peccaret quoque miles, & carnifex, quod nullus dixerit. Addit S. Thomas conditionem hanc, ut defensor intendat conservationem propriæ vitæ, non mortem aggressoris sui: quam conditionem

non eadem ratione interpretantur Theologi. Nam Cajetanus in 2. 2. q. 64. art. 7. ait mentem esse Doctoris Angelici, ut nullo modo intendatur mors infaustoris, vel tanquam finis, vel tanquam medium, ita ut mors illa sequatur tantum per accidens, tanquam aliquid consequens ex necessitate finis, ut *ex medicina sanante sequitur ægroti debilitatio*. At Soto contendit mentem S. Thomæ esse, quod fiat illicitum homicidium ex intentione, quando quis alterum aggreditur ipsum præveniens vel ad vindicandam præteritam injuriam, vel ad cavendam futuram: secus si læcessitus videns se non posse alio pacto mortem evadere, intendat mortem aggressoris, & etiam si opus sit, mucrone ipsius jugulum petat. S. enim Thomas, inquit Soto, se ipsum explicat, dum ait occidere ex intentione licere tantum ei, qui habet publicam auctoritatem; cui profecto fas est aggredi hostem, ac prævenire occidendum, ut defendatur respublica. Accedit Soto Continuator Th. Tournely, dicens fieri non posse, ut qui plumbeam glandem explodit in caput inimici, mortem ejus non intendat. Et tamen, ni fallor, melius mentem D. Angelici assecutus est Cajetanus. Enimvero S. Thomas aperte docet, ejusdem actus aliquando dari duos effectus, *quorum alter sit in intentione, alius vero sit præter intentionem*: morales actus suam speciem desumere ab eo, quod intenditur, non autem, ab eo quod est præter intentionem, cum sit per accidens, ut ex supradictis patet: atque ex D. Thoma illud per accidens dicitur evenire, quod est præter intentionem agentis, ut idem Doctor explicat supra q. 43. art. 3. & 1. 2. q. 12. art. 7. At qui aggressoris mortem intendit, ut propriæ saluti consulat, non ita se gerit, ut mors illa sequatur tantum per accidens, & præter intentionem, cum tam finis, quam medium sint intentionis objectum, ut evidenter demonstrat Salonius noster, atque absque ulla demonstratione per se manifestum est. Igitur S. Thomas permittit tantum occisionem infaustoris, si sequatur per accidens, ut in ægroti deliquium, non vero si intendatur, ut finis, aut medium, quemadmodum explicat Cajetanus. Nec urget Soti animadversio, quod S. Thomas proferat exemplum occidentis publica auctoritate; is namque idcirco non peccat, quia intendit publicum bonum, ad quod referri debet vita privati hominis. Quod si cum Salonio reponas veram esse interpretationem Cajetani, sed fieri

non

non posse, ut in praxi, atque in actuali conflictu mors aggressoris non intendatur ut medium ad vitam propriam servandam; subinferent Nostrates etiam illicitum esse petere cor, aut jugulum aggressoris, quod licitum alii putant; & perperam adversarios in suas partes S. Thomam pertrahere.

3. Ordo Charitatis requirit ordinatam dilectionem.

Præmittendum pro nostra sententia, in hoc situm esse ordinem charitatis, ut homo rerum integer æstimator ordinatam dilectionem habeat, nec amplius diligat quod minus est diligibile, ut liquet ex supradictis, & docet S. P. in 1. de Doctrina Christi. cap. 27. num. 28. Diligendum quoque est corpus nostrum, & citra vitium amari potest corporalis vita, ut idem Augustinus docet præcedenti cap. 25. n. 26. sed præcipiendum est homini, quomodo corpus suum diligat, ut ei ordinate prudenterque consulat: ita ut amplius alius homo diligendus sit, quam corpus nostrum, quia cum omnia diligenda sint propter Deum, nobiscum alius homo potest Deo perfrui, quod non potest corpus, cum corpus per animam vivat, qua fruimur Deo. Atque id negari nequit, nisi palam repudiata Augustiniana doctrina, imo ipsa charitatis lege contracta, præscribente talem dilectionis ordinem, quo cætera in Deum confluant. Id etiam scribit Norisius culpans duntaxat amorem libidinis, quo vita corporis fruimur, eique conglutinamur, implicati amore rerum, quæ amitti possunt, & quas rationi subiectas esse oporteret. Quare Barth. Riccius immerito Norisium redarguit pag. 314. quasi scriptor clarissimus asseruerit dilectionem corporis affectum esse brutalem, perperam accitis Augustini testimoniis, ubi affirmatur dilectionem corporalis vitæ esse licitam: nam iisdem locis, quæ Riccius objectat, ac præsertim de doctrina Christiana, requirit S. Pater, ut corporalis vita diligatur ordinate ac prudenter, ut constat ex dictis. Puto idem tradere S. Thomam, ubi demonstrat 2. 2. q. 25. art. 4. quomodo debeat unusquisque se ipsum amare secundum naturam rationalem, ut sibi velit ea bona, quæ pertinent ad perfectionem rationis.

4. Propositio.

PROPOSITIO. Occiso iniusti aggressoris licita est, si talis occisio à noxia cupiditate sequestretur, id est, amor proximi non præferatur amor corporis, & defensionem sui moderetur pacatum rationis imperium; quod tamen in praxi raro, difficulter, & forte nunquam continget.

Hæc est sententia, ni fallor, Augustini. Probat 1. stinensium Doctorum, etsi videantur affirmare nefas esse iniquum grassatorem occidere: saltem id sentit, qui mihi instar omnium est, Henricus Noris Tom. 1. p. 1094. male pro sententia negativa absolute citatus, cum accurate utramque ad Augustini effata componat, & perperam à Riccio impugnetur. Licetum esse cum pacato rationis imperio, & non violato ordine charitatis eum, qui mortem intentat, occidere, probatur primo. Exodi xxii. 2. legitur: Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & est reus sanguinis. In quem locum S. P. Augustinus q. 84. in Exodum ait: Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur: si autem diurnus, pertinere. Hoc est enim quod ait, Si orietur super eum sol. Poterat quippe discerni quod ad furandum non ad occidendum venisset, & ideo non deberet occidi. Hoc & in legibus antiquis secularibus, quibus tamen ista est antiquior, invenitur, impune occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se cum telo defenderit; jam enim plus est, quam fur. Licite ergo occiditur, qui venit ad occidendum, &c.

5. Obiectio.

Respondet Vanroy legem Exodi esse judicialem, id est, præscribere formam qua in iudicio adversus reos procedendum est; præsertim, quod in eadem lege dicitur, quod possit occidi fur diurnus, qui se telo defendat, quod in solo foro externo licitum esse docet universa Augustiniana Schola. Addit in veteri lege multa fuisse impunita, quæ tamen erant illicita, ut poena tallionis, & libellus repudii: observat etiam Augustinum scribere furem nocturnum impune occidi, non, licite occidi: addit quod nisi hæc accipiamus de solo foro externo, fiet consequens, posse occidi furem etiam quando alias potest repelli, & ejus occisio ad propriæ vitæ conservationem non est necessaria.

6. Solutio & Confirmatio.

Hæc non absque magna probabilitate dicta sunt: & in eorum confirmationem addi potest, quod versio Græca, ἐξ ἑνὸς ὁδοῦ, non est illi cædes, Arabica, erit impunitas, Syriaca, non habebit actionem capitalem, aperte monstrant legem Exodi esse judicialem, & spectare ad politicam, & Reipublicæ tranquillitatem. Falsum est tamen in foro interno reum esse homicidii, qui necessitate coactus, & propriam vitam de-

defendens, grassatorem interimit. Primo, quia Vulgata nostra habet, *Non erit reus sanguinis*, & Augustinus, *Intelligitur tunc non pertinere ad homicidium*, & olim R. Jonathan, *Non erit ei reatus effusionis sanguinis*, & R. Salomoh, *Non est hoc homicidium, de quo in Decalogo*. Quod si occisio non pertineat ad homicidium in Decalogo prohibendum, porro nec in foro interiori labes contrahitur. Deinde, ut argumentatur Norisius, licet lex illa data esset ad regendam rempublicam Judæorum, in ea tamen lege Divina voluntas permittit homicidium, uti permittit lex Aquilia, & aliæ antiquæ sæculares: at qui occidit invalorem, non agit contra voluntatem sæcularis legislatoris; ergo neque adversus voluntatem Divinam, ideoque non peccat. Præterea tam lex Exodi, quam verba Augustini comprehenduntur in cap. *Si perfodiens*, De homicidio: leges autem Canonice etiam pro interiori foro latæ sunt. Sane prior responsio Vanroy, quod posset occidi etiam fur diurnus, qui se telo defendit, inanis est; quoniam id nec habetur in Exodo, nec citatur ab Augustino ut lex Divina, sed ut lex civilis, ex ff. ad leg. Aquiliam l. 4. de qua proinde inquit, furem illum qui telo se defendit, occidi impune: at de occisione furis nocturni ait hanc non pertinere ad homicidium. Falsum est etiam fuisse illicitum dare libellum repudii, & infligere tallionis poenam, dum hæc permittebantur à lege: sed illicitus erat finis, quo Judæi lege abutebantur causa odii, aut vindictæ; quam ob rem necesse fuit, ut Christus poneret Judæorum licentiæ repagulum. Neque fit consequens posse occidi, aut nocturnum furem, aut grassatorem, si possit mors aliunde vitari, quoniam eo in casu pervertitur, ut paulopost explicabo, ordo charitatis.

7.
Probatur 2.
ex Romano
Catechismo.

Probatur 2. ex Romano Catechismo P. 3. De quinto præc. n. 8. ubi legitur: *Qua etiam ratione, si quis salutis suæ defendendæ causa omni adhibita cautione alterum interemerit, hac lege (Non occides) non teneri satis apparet*. Respondet idem Vanroy agi ibidem de homicidio casuali: quod, inquit, planum fit ex textu, quia loco citato numerantur cædes aliquæ non peccaminosæ, quæ præter voluntatem inferuntur, unde mox subjungitur, *Qua etiam ratione, &c.* Verum falsa est responsio Vanroy: de casuali enim homicidio agitur superiori num. 6. & 8. pertractatur de occisione aggressoris, quæ fit non fortuito, non

casu, sed salutis defendendæ causa, ac sat est Catechismum legere, non enim eget majori explicatione, inquit in Elucidatione Scholastica Catechismi Joannes Chapeville Leodiensis. Profecto illis verbis: *Qua ratione, &c.* innuitur, quod sicut homicidium casuale, non imputatur ad culpam, quia non infertur voluntate, & industria; ita non spectat ad scelerosam eadem homicidium aggressoris, quo intenditur duntaxat conservatio propriæ vitæ, quoniam homicidium illud præter intentionem inferitur, uti medicinali pharmaco accidit ægroti deliquium. Ubique enim Romani Catechismi auctores sequuntur præceptiones D. Thomæ, cujus sententiam supra explicavi.

Tertio Probatur ex PP. Cyrillus enim lib. 1. in Joannem cap. 35. ait: *Unde Probatur, nam Petrus gladium habuit? Ac respondet, Quia secundum legem gladio se defendere licebat*. Et ibidem, *Si vi multitudinis invitatus ad necem traberetur Christus, omni modo fortassis debuissent illum discipuli defendere*. S. Ambrosius lib. 1. de Officiis cap. 36. num. 178. *Neque in inferenda, inquit, sed in depellenda injuria lex virtutis est. Qui enim non repellit à socio injuriam si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. Unde sanctus Moyses hinc prius orsus est tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cum vidisset Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem defendit, ita ut Ægyptium sterneret, atque in arena absconderet*. Plura Estius in cit. dist. 37. ubi ex auctoritate Ambrosii infert, quod si hoc pacto defendere socium liceat, licet & se ipsum. Verum tamen est, quod S. P. August. lib. 22. contra Faustum ait, consulta æterna lege non debuisse virum Ægyptium, licet injuriosum, & improbum occidi ab eo, qui nullam ordinatam potestatem gerebat: unde nos supra lib. xx. cap. 7. alia ratione Moysen defendimus. Hæc vero quomodo cohæreant, dicam infra.

Probatur quarto; nam occidere injustum aggressorem, nisi aliter propriæ salutis possumus consulere, omnes leges, omniaque jura permittunt, ut habetur in cap. *Significasti* 2. de Homicidio, & cap. *Si vero*, de sent. Excommunicat. In cap. etiam *Si furiosus*, decernitur eum, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit, vel mutilat invalorem, non contrahere irregularitatem. Nec quidquam officit, quod de irregularitate ante hanc Clementis V. constitutionem contrarium senserint antiqui Scholastici, nam irregularitas etiam

absque delicto contrahi potest, ut à milite, ac iudice. Posse vim vi repellere, si fiat cum moderamine inculpatae defensionis, dicitur lex naturæ, de qua Cicero in Orat. pro Milone: lex civilis superius laudata; lex Canonica, de qua modo. Quare in Edicto Theodorici cap. 15. habetur: *Qui percussorem ad se venientem repulerit ferro, non habetur homicida; quia defensor propriæ salutis videtur in nullo peccasse.* Quomodo ergo damnabimus, quem omnes prorsus leges absolvunt?

10. Noxia cupiditas facit illicitam occisionem grassatoris.

Dixi tamen licitam esse occisionem grassatoris, si sequatur à noxia cupiditate. Noxia autem cupiditas intervenit, si vel subrepat desiderium ulciscendi, vel animus conglutinetur dilectione proprio corpori, ita ut pro huius vita, quam unice intendat, nullam adhibeat in repellendo hoste cautionem, & salutem proximi parvipendat; vel denique si non sistat in actu defensionis, dirigatque in aggressorem gladium vel enssem eo fine, ut ipsum interimat. Ita ut in foro interiori reus sit homicidii quisquis injuriam propulsans agitur vindictæ libidine: quisquis in sui defensionem impellitur ea cupiditate, qua etiam bruta sese rostro unguibusque tutantur, non dirigens naturæ motum rationis imperio, ne hæreat tanquam ultimo fini vitæ corporali: quisquis denique tali animo comparatus est, ut fervente ira sterneret invasorem, quamquam posset alia via intentatam sibi cædem evadere.

11. Ulciscendi libido facit illicitam occisionem.

Illicitam esse occisionem aggressoris, si intersit ulciscendi libido, patet ex Scriptura, Matth. v. 39. 1. ad Corinth. vi. 7. 1. ad Thessalon. v. 15. aliisque in locis. Unde Augustinus in Epistola ad Publicolam 154. nunc 47. num. 5. ait: *De occidendis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro Civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruit personæ.* Liqueat autem Augustinum loqui de occisione qua Christianus, cum possit repellere aggressorem, illum interimit ut hostem ulciscatur, quod nulli licet, nisi fulciatur publica auctoritate: nam & de hoc interrogatus fuerat à Publicola præcedenti Epist. 9. 12. & S. Pater post recitata verba, inquit: *Qui vero repelluntur aliquo terrore, ne male faciant, etiam ipsis aliquid fortasse præstatur. Hinc autem dictum est, Non resistamus malo, ne nos vindicta deleat, quæ alieno malo*

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

animum pascit, non ut correctionem hominum negligamus. Quibus verbis S. Pater, uti permittit correctionem, qua aggressores sine interfectione repelluntur, vel impugnantur: ita damnat occisionem quæ non fit publica auctoritate, quæ non spectat commodum civitatis, & quæ peragitur ulciscendi libidine.

Peccare etiam, qui aggressorem interimit inhærendo amore vitæ corporis, & huic posthabendo proximum suum, nequit in Augustiniana Schola controverti. Ac probatur, quia S. P. Augustinus lib. 1. de lib. arbitrio cap. 5. probat sententiam Evodii dicentis: *Quomodo possum arbitrari cavere istos libidine, qui pro his rebus digladiantur, quas possunt amittere inviti; aut si non possunt, quid opus est pro his usque ad hominis necem progredi?* Id confirmat ex quo si vita corporalis amitti potest, debet contemni, nec haberi in tali pretio, ut ejus intuitu frangatur æterna lex, quæ vult ut omnia sint ordinatissima, & proximus plusquam corruptibile corpus diligatur. *Quomodo enim (ait) apud eam legem sunt isti peccato liberi, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Idem corroborat cap. 15. ejusdem libri, ubi posteaquam docuit temporali vita utendum esse, non fruendum, ait: *Cum igitur eisdem rebus alius male, alius bene utatur & eis quidem qui male amore inhæreat, atque implicetur, scilicet subditus eis rebus quas sibi subditas esse oportebat, & ea bona sibi constituens, quibus ordinandis beneque tractandis ipse esse utique deberet bonum: ille autem qui recte his utitur, ostendat quidem bona esse, sed non sibi, non enim eum bonum melioremve faciunt, sed ab eo potius fiunt.* Et ideo non eis amore conglutinetur, neque velut membra sui animi faciat, quod sit amando, ne cum reserari cæperint, eum cruciatu ac tabefaciant, sed eis totus superferatur, & habere illa atque regere cum opus est paratus, & amittere, aut non habere paratior. At qui pro libidine corporalis vitæ occidit aggressorem, temporali bono, quod potest amitti, hæret amore, & corpori conglutinatur; igitur corporali vita non utitur, sed fruitur, & charitatis ordinem pervertit. Hanc doctrinam tradit S. P. de Doctrina Ch. ut supra diximus; ideoque falluntur, qui putant illum retractasse quæ scripserat de libero arbitrio, tametsi hoc opus exornarat nondum sacra eruditione imbutus, in eoque plura inquirendo potius, quam definiendo

12. Non licet aggressorem occidere inhærendo amore vitæ corporis, & huic posthabendo proximum.

Xx

tradi-

tradiderat. Norisius, *Non est necesse*, inquit, *ut dicamus sanctum Doctorem priorem sententiam retractasse, cum præcipue à scripto libro primo de libero arbitrio post triginta & amplius annos libros retractationum scribens illam priorem sententiam non expungens, iterum approbasse censendus sit.* Male itaque de Norisio scribit Riccius pag. 207. *Falso dicit Augustinum eam retractasse, &c.*

13.
Argumenta
Soti re-
tunduntur.

Non latuit S. Thomam hæc Augustiniana doctrina; citata enim quaestione 64. docet illicitum esse, *quod homo intendat occidere hominem ut se ipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum, ut patet in milite pugnante contra hostes, & in ministro iudicis pugnante contra latronem, quamvis etiam & isti peccent si privata libidine moveantur.* Si ergo privata libido reddit illicitam occisionem patratam ab eo, qui habet occidendi publicam auctoritatem; à fortiori damnablem reddet eadem à privato homine illatam. Huc etiam spectat momentum, quo utitur Augustinus Triumphus; quia scilicet animam proximi plus tenemur diligere, quam corpus proprium, quod possumus amittere inviti; unde qui, ne perdat temporalem vitam non consulit salutem animæ aggressoris, diligit semetipsum inordinate, ac pervertit ordinem dilectionis. Sunt ejusdem generis argumenta à Magistro Gavardi producta. Quibus responderi solet cum Soto lib. v. de Justitia, & jure q. 1. art. 8. exigere quidem charitatis præceptum, ut corporalem vitam pro incolumitate reipublicæ, & pro salute proximorum spiritali impendamus, at non quando ipsimet proximi sciunt se male agere, & possunt à monomachia, & infestatione cessare, nec cessant sua culpa; quippe necessum non sit ab aliorum voluntariam pervicaciam vitam profunderere. At primo ex sententia Soti sequitur, quod nefas sit occidere etiam cum moderamine defensionis inculpatæ ebrium, aut amentem, quem probabiliter existimes non esse in gratia, eoquod per peccatum mortale inciderit in amentiam, vel ebrietatem; tunc enim invalor nescit se male agere, atque id arbitror inconcussum, & ex momento Augustini Triumphi legitime illatum; ut vidit etiam Florentinus de Cocq. Tom. 2. Tract. v. cap. 3. Præterea distinguendum est opus externum ab animi intentione: & licet non teneatur ob furorem alterius vitam profunderere;

vitam tamen meam tueri debeo pacato rationis imperio, ob bonum reipublicæ, ob necessitatem familiæ, atque ut moriar cum majore probabilitate salutis, non motus illa cupiditate, inquit Norisius, qua ad sui defensionem etiam bruta impelluntur: non quod amor propriæ vitæ sit illicitus, & brutalis, sed quia *motus naturæ sensitivæ*, in qua communicamus cum brutis, regi debet imperio rationis juxta ordinem charitatis, quæ præcipit ut magis diligatur anima proximi, quam corpus proprium, ut inquit in respons. ad 1. Triumphus.

Postremo peccare qui ira aggressorem prosternt, nec vitæ suæ defensionem, sed alterius mortem intendit, expresse docet ibidem sanctus Thomas, demonstratque lex naturæ, quæ nullum nobis in alterius vitam jus impertitur, nisi in casibus enumeratis pag. 44. quando nempe id postulat salus reipublicæ, justitiæ æquitas, bonumque præstantius. Atque hinc sequitur vix in praxi posse contingere, quando sine culpa occidatur aggressor. Enimvero fieri non potest, ut in promptu sit recta rationis consideratio, qua pacato imperio frenetur motus cupiditatis, nec animus vitæ temporali subjiciatur: ut ita repellatur injuria, ne ira & indignatione animus concitetur: ut *per accidens* tantum, non intentione occidentis prosteratur aggressor. Quamobrem Theologi Augustinenses, necnon PP. S. Mauri in Notis ad Augustinianam Epistolam 47. negativam sententiam propugnant; illamque tradidit S. Ambrosius lib. 111. de Off. cap. 4. num. 27. scribens: *Non videtur quod vir Christianus & justus, & sapiens quærere sibi vitam aliena morte debeat, utpote qui etiam si in latronem armatum incidat ferientem referre non possit, ne dum salutem defendit, pietatem contamine.* De quo in Evangelii libris aperta, & evidens sententia est, Reconde gladium tuum; omnis enim qui gladio percusserit, gladio ferietur. *Quis latro detestabilior, qui venerat ut Christum occideret? Sed noluit se Christus persecutorum defendi vulnere, qui voluit suo vulnere omnes sanare.* Ex hoc loco intelligitur, cur idem Ambrosius lib. 1. cap. 36. commendaverit fortitudinem Moysi, qui non per accidens, sed datâ operâ percussit Aegyptium, quia scilicet non contaminavit pietatem, nec vitam sibi aliena morte quæsiit, sed quia præclara animi intentione, in qua prima vis fortitudinis, honestas, & illud *πρόιον* cernitur, ut inquit eodem cap. n. 181. studit proximum eripere; quod

14.
Non licet
ira aggressorem prosterne, nec vitam defensionem sed alterius mortem intendere.

quod non licet carnali affectu impellente, nec in illud, quod honestum ac decorum proponitur, intentione directâ. Quoniam vero occidere ex intentione non licet, nisi ordinata potestate; Moysen, quem Ambrosius defendit ex fortitudine animi ob quam non contaminavit pietatem, Augustinus scribens contra Faustum lib. 22. cap. 70. ait dedisse signa vitiosa magnæ fertilitatis, quia peregrinum fratrem non observato ordine potestatis inultum esse non pertulit, sed Quæst. 2. in Exodum etiam ex hoc capite excusatur, quoniam videtur jam divinicus fuisse admonitum, dandam per ipsum salutem fratribus, ut colligitur ex cap. VII. Act. Atque ex his Augustini & Ambrosii sententiæ facile conciliantur.

DIFFICULTATUM ENODATIO.

15. **Obiectio 1.** At nunquam absque culpa occidi iustum vitæ aggressorem probant 1. ex quo *Non occides*, præceptum Divinum sit, in quo nulla præsumi debet exceptio, nisi ipsa Divina lege exprimatur. Quare S. P. Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 21. assignatis tribus capitibus, ex quibus occisor excusatur à culpa, quæ sunt, si bella Deo auctore gerantur, si occidatur iniquus publica potestate, & si aliquis se ipsum interimat speciali instinctu, *Hic igitur exceptis*, inquit, *quos vel lex iusta generaliter, vel ipse fons iustitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel se ipsum, vel alium quemlibet occiderit homicidii crimine innectitur.* Et lib. 22. contra Faustum cap. 10. *Ille utitur gladio male, qui nulla legitima potestate vel jubente, vel concedente in sanguinem alterius armatur.*

16. **Solutio.** Respondemus illum, qui se cum moderamine inculpatae tutelæ defensus interimit grassatorem, uti publica auctoritate; talem quippe occidi lex naturæ, lex Divina, lex canonica, & lex civilis permittit, ideoque nisi violetur ordo charitatis, & nisi intendatur mors aggressoris ob concitationem iræ, & noxiam libidinem, qua vita proprii corporis præferatur spirituali proximorum salutis, damnari nequit occisor. Sane Augustinus in lib. 1. de Civitate Dei demonstrat, nullam esse auctoritatem, quæ Christianis jus voluntariæ necis attribuat; & contra Faustum loquitur de illo, qui eadem intentans in sanguinem alterius armatur. Non intentat vero mortem, non arrogat sibi jus voluntariæ necis, non armatur in alterius sanguinem qui

R. P. Bertii Theol. Tom. IV.

intendit propriæ duntaxat vitæ conservationem, idque non affectu brutis communi, sed per rationis imperium directo. Eodem pacto explicatur quod scribit Epist. ad Publicolam, in qua prohibet ne quis adversus aggressorem armetur ut illum occidat, sive id faciat ulciscendi libidine, sive absque ordinata potestate, ut supra diximus: ideoque S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. ad 1. ait: *Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas Augustini intelligenda est in eo casu, quo quis intendit occidere hominem, ut se ipsum à morte liberet.* Quoniam tamen vix percipi potest, quomodo in praxi non intendatur mors aggressoris, & animus superferatur vitæ corporali, quæ potest amitti; fatemur quoque vix contingere, ut iniquus aggressor absque culpa occidatur.

Præterea obijcies. Prohibentur Christiani resistere malo, Matth. v. 39. & Obiectio 2. malum pro malo reddere, ad Rom. xii. 17. At quomodo non resistit malo, quomodo malum pro malo non reddit, qui invasorem mutilat, & obtruncat; Christus etiam Petro gladium in ejus defensionem evaginanti, Matth. xxvi. 52. inquit: *Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt.* Quæ autem iustior esset occisio ea, quam pro Christi vita discipulus intentabat? Si ergo non licuit Petro gladio satellites coercere, nec licet cuilibet in sui, vel alterius defensionem alium percutere, & enecare. Hinc Ambrosius lib. x. in Lucam cap. 22. num. 53. Petri factum expendens scribit, quod referre licuit tantum usque ad Evangelium. Habet similia lib. 111. de de off. cap. 4. de quibus supra.

Respondemus his locis redargui tantum ulciscendi cupidinem, ut vidimus præcedenti cap. 18. alioquin nefas quodque esset Christianis bellum gerere, se ipsos defendere, & iniquos hostes coercere, quod nullus dixerit, nisi heterodoxus. In Petro quid reprehendendum fuerit, paucis ostendam. Primum ad repellendos hostes gladio utendum non est, nisi prius adhibeatur ratio ac prudentia; hæc enim arma nobis natura dedit, non rostra, non cornua, non ferarum ungues; ac Petrus non ratione ac prudentia, sed cæco amoris impetu ducebatur: quid enim adversus multitudinem solus poterat consequi tractando gladium? Id observat Victor Antiochenus in Catena Græcorum Possevin pag. 327. Deinde, quia sponte Dominus mortem subibat, & implendæ erant Scripturæ: quamobrem alias Pe-

Xx 2

trum

trum redarguerat Matth. xvi. 22. cum prædicente Domino futuram passionem, inquit Apostolus *Absit à te Domine*. Atque id observat Chrysostomus Hom. 84. in Matth. pag. edit. Commel. 327. Tandem impedienda non erat mors decreta pro humani generis redemptione, ut docet cit. lib. 3. de Offic. S. Ambrosius, Illa autem verba, *Omnes qui acceperint gladium gladio peribunt*, auctore ibidem Chrysostomo non ad Petrum spectant, sed ad illorum, qui Christo infidiabantur, supplicium: sive ad illos, qui mortem vel punitionem intentant absque legitima potestate, ut exponunt Lyranus Estius, & Menochius xlii. Volum. Bibliorum Max. pag. 312. Porro Ambrosius in Lucam ait quod non referre perineat ad perfectionem Evangelii; atque id nullus negat. Ait enim: *Lex tamen referre non vetat, & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, Satis est, dicit, quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit in lege aequitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio*. Aut Ambrosius culpatur referre absque præclara intentione animi, quod magis bonum est, præferentis: ob quam intentionem lib. 1. cap. 36. commendavit Moysis fortitudinem.

19. **Obiectio 3. & Solutio.** Insuper obijciat: Ait Augustinus in 1. de lib. arbitrio cap. 5. demonstrantque Augustiniani Theologi, illum qui in sui defensionem occidit alterum, amore corpori conglutinari, & noxia moveri libidine. Producta sunt paulo supra testimonia Augustini, & Augustinenium argumenta.

Resp. nos neque ab Augustino, neque à nostratibus recedere: negamus tantum interesse noxiam libidinem, dum occisor non movetur ulciscendi cupidine, dum in sui defensionem vigilat pacato imperio rationis, dum non intentat aggressori mortem, & hæc accidit præter intentionem se defendentis: quod fatemur perraro in praxi contingere: Hinc S. Pater Epist. 153. alias 54. ad Macedonium inquit: *Cum homo ab homine occiditur, multum distat utrum fiat nocendi cupiditate, vel injuste aliquid auferendi, sicut fit ab inimico, sicut à latrone; an ulciscendi vel obediendi ordine, sicut à iudice, sicut à carnifice; an evadendi, vel subveniendis necessitate, sicut interimitur latro à viatore, hostis à milite*. Eam ob rem Norisius, cui subscribimus, ait diversa Augustini effata componenda ex verbis S. Patris lib. 1. de lib. arb. cap. 5. *Potest ergo illi legi, quæ tuendorum civium causa vim hostilem eadem vi repelli*

jubet, sine libidine obtemperari; ita ut occisio invaloris sit licita, si à noxia cupiditate sequestretur, uti sequestratur in milite, qui bonum Reipublicæ, & civium incolumitatem intendit, peccat tamen & ipse, si privata libidine moveatur, inquit sanctus Thomas

Oppones 4. Peccare etiam qui occidit salutis suæ causâ scribit S. Basiliius Epist. ad Amphilochoium can. 8. 43. 55. S. Bernardus de Præcepto, & dispensat. cap. 7. n. 13. & de Nova milit. cap. 1. Sacri etiam Canones citati à Lupo de Opin. Probabili cap. 8. præsertim 28. in Append. ad capitul. Reginonis, indicunt pœnitentiam quadraginta dierum iis, qui Diaboli membra interficiunt, sine odii meditatione, & se, suaque liberando. Etiam S. Cyprianus Ep. 56. & 37. ait Christianis nefas esse occidere nocentem, & esse necessarium occidi.

Resp. His nos nequaquam urgeri, cum asseramus illicitam esse occisionem, quæ mors aggressori intentatur, & queritur vita corporis morte aliena, non ordinata charitate, sed noxia libidine. Deinde respondemus S. Basilium cit. canone 8. loqui de occisore, qui enssem, securim, aut alia instrumenta jaculando satis prætulit se animi perturbatione vitam homini non pepercisse. Canon. 43. illum homicidam appellat, qui prior percussit sive ultus est: & can. 55. inquit arcendos ab Ecclesia, qui absque ordinata potestate se latronibus adversos obijciunt. S. Bernardus priori in loco agit de homicidio voluntario, quod perpetratur necessitate quidem se defendendi; sed intendendo mortem aggressoris: nam pertractat de iis, qui libera voluntate legem transgrediuntur, atque ob ob diversum finem inquinantur graviore, aut leviori facinore. Ac de nova militia perstringit illam occisionem, in qua occisor letaliter, peccat, & occisus æternaliter perit: non peccat autem, qui eadem alteri non intentat, nec est voluntaria causa damnationis, quam aggressor pervicacissime incurrit. In canone 28. Reginonis, primo pœnitentia indicitur iis, qui interficiunt latronem, cum possit comprehendi absque præda, deinde iis, qui sine odii meditatione interficiunt diaboli membra, voluntarie tamen occidunt pro vita corporali quos sciunt in æternum perire: atque in priori casu deest moderamen; in altero pervertitur charitatis ordo. Cyprianus denique pertractat de tempore persecutionis, quo fidei causa debet quisque subire martyrium: quo sensu etiam Lucifer Calaritanus ait in libro

20. **Obiectio 4.**

21. **Solutio.**

libro ad Conſtantium, *Non occidere, ſed occidi propter Dei filium docemur.*

22. Obiectio ultima. Ultimo obijcies : Si omnia jura per-
mittunt, ut vis hoſtilis vi repellatur, ſi occiſor furis nocturni eſt immunis à culpa, ſi ordine charitatis non tenemur magis alienæ vitæ, quam propriæ conſulere ; cur etiam non poterit occidi injuſtus aggreſſor mortem illi intentando, & dum nulla alia via eſt evadendi, etiam illius cor, aut jugulum armis per-
tendo ?

23. Solutio. Reſp. id ſententia noſtra eſſe illicitum, quoniam idem jus naturale, quod permittit ut vim vi repellamus, præſcribit etiam ut vis ſenſuum, qua move-
mur ad propulſandam injuriam animo ulciſcendi, repellatur vi rationis præcipientis ut ordo charitatis non perversatur : quod ſi vis rationis conſequatur, dicimus licite aggreſſorem occidi. Affirmamus eo pacto non peccare qui pro familiæ ſuæ incolumitate occidit furem nocturnum neſciens num venerit ad occidendum aut furandum, ſi aliàs non ſuccurrat conſilium, ac ratio vitandi periculum ; quoniam ſalus ſui ipſius, uxoris, & filiorum præferenda eſt vitæ unius

graſſatoris. Eadem ratione aſſerimus prætermittendam non eſſe, ut inquit S. Thomas, moderatam deſenſionem ad vitandam occiſionem alterius, quia plus tenetur homo vitæ ſuæ providere, quam vitæ alienæ : ſed negamus poſſe occidere aggreſſorem ut ſe ipſum deſendat, illi mortem intentando ; quia neſas eſt quærere vitam propriam morte aliena, quam ſupremus Jdex juri ſuo, ac ordinatæ poteſtati, inſigendam improbis reſervavit. Poſtremo dicimus vitam proprii corporis diligendam ; ſed cum amitti poſſit, debeatque pro ſalute ſpirituâli proximorum noſtrorum contemni, ita ſervandam illam eſſe, ut hæc ſalus voluntate noſtra non periclitetur : ut animum noſtrum regat charitas, nec frangat ira, nec ſectat noxia cupido : ut denique nos defendamus non tanquam bruta, quorum præſtantius bonum eſt vita corporis, ſed tanquam rationales homines, quorum ſumma felicitas eſt vita animæ. Hæc autem vita haberi nequit ſine virtutum omnium nobiliſſima ac jucundiſſima, de qua hætenus diſputavi, id eſt, CHARITATE.



xx 3

DE